

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P.P. ...  
Ad exequias, quas Matronae ... Dorotheae Marstallers/ Viri ... Dn. Johannis  
Beselin/ Senatoris & Patritii Rostoch. ... viduae, liberi & gener moestissimi ...  
paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum Cives Academicos amanter invitat**

Rostochii: Kilius, [1667]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770291317>

Druck Freier  Zugang



Redeker, H. R.,  
in  
**D. Marstaller,**  
uxor. J. Beselin.  
Rostock, 1667.

19.







RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HEINRICUS RU-  
DOLPHUS *Redeker* /

J. U. D. P. P. Sereniss. Ducis Mechl. Consil.  
Consistorii Ducalis Assessor, & Facult. Jur.

Decanus,  
Ad exequias

quas

*Matronæ Honestissimæ, & Laudatissimæ,*

DOROTHEÆ



*Marstallers* /

*VIRI Prudentissimi,*

DN. JOHANNIS

*Beselin* /

Senatoris & Patritii Rostoch. olim clarissimi  
viduæ,

liberi & gener moestissimi

*Hodie in templo Mariano, paratas cupiunt,*

Omnes omnium ordinum Cives Academi-  
cos amanter invitat.

---

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



Salutem!



Etuendum esse sexagesimum tertium aetatis humanae annum, quem climactericum & periculosum vocant, vetustissimi Medici Philosophique communi quasi suffragio approbarunt, & literis prodiderunt: hujusque adfert rationem, non tam ab experientia cottidiana, quae non tantum veterum, verum etiam recentiorum exemplis testatum facit, annum illum multis magnisque viris fatalem exitisse, quam ab annorum numero, cui natura, ut Pythagorae putant, vim tribuit, deducunt. Lunam, quae familiarissimum rebus terrestribus sidus est, quater septenis diebus integris, per alternas crescendi ac decrescendi vices, curriculum absolvere, & in easdem rursus renasci, Varro observavit. Vitam etiam omnem morbi instar, quia nihil aliud nisi perpetuus morbus est, circa numerum septenarium varias admittere vicissitudines, Eruditorum neminem latet. Neque tamen numero septenario duntaxat vim aliquam tribuunt, verum etiam numero nonario: Indeque discernendum docent singulis septem, ve etiam singulis

his

lis novem annis hominis temperamentum, conditionem, ac indolem, variam admittere mutationem. Uti enim Medici diem septimum ac nonum morbi curatiùs solent in ægrotantibus observare, quia in illis, quos ideo Criticos vocant, de morbo & ejus eventu judicare solent: ita sagaciores naturæ inquisitores circa annum ætatis septimum aut nonum varias admittunt vicissitudines, quæ vel animum, vel corpus, vel etiam fortunæ bona sæpius immutant. Quoniam itaq; in anno illo sexagesimo tertio duo climata concurrunt, scilicet septies novem, vel novies septem, illum periculosissimum & præ aliis metuendum annum statuunt, cum senibus fatalis ut plurimum esse soleat. Sed quicquid horum sit, *Vigilate*, dicit ille qui mentiri nescit, & qui vitæ mortisque Dominus est, *quia nescitis diem neque horam*. Mors quidem certa est, sed dies mortis incertus; unde summæ prudentiæ est continuam habere mortis memoriam. Adeoque discere qui vult mori, omnibus id horis necesse discat, ne mors, quæ singulis horis imminet, & cuique super caput quotidie adstat, imparatum inveniat: vitâ siquidem finitâ, statum illum, in quo quemque mors invenerit, nemo mutare potest. *Si itaque ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quemcunque locum ceciderit, ibi erit*. Felix proinde, cujus memoriæ mortis contemplatio semper infixæ hæret, & qui indies ad eam subeundam se disponit ac præparat! Felix, qui manè cogitat se vesperi non victurum, & vesperi, se manè non futurum! Magna certè res est, & per totam vitam discenda, si quis, cum adventat hora ultima, æquo animo inevitabile fatum sustineat, nec ad longos annos, minus ad annum sexagesimum tertium, spem vitæ protrahat. Uti enim dies Domini sicut fur in nocte venit, ita incomper-



compertum est, an prima, secunda, vel tertia vigilia  
ultimum vitæ momentum adierit. *Nescit siquidem*, Ec-  
clesiasta teste, *homo finem suum*, cum nec unicam horam  
sibi promittere possit certam. Hæc enim causa est, cur  
nos voluerit celare horam mortis benignissimus Deus,  
ut magis nos paratos præstemus, si advenerit. Nam si  
sciret homo diem suum, in diem viveret, & tempus, ad  
agendam debitam pœnitentiam, satis amplum sibi per-  
svaderet, adeoque quò tempus longius, eò peccandi  
ocasio foret licentiosior. Hæc secum maturè & tem-  
pestivè deliberavit *Matrona Clarissima, & Vidua Hone-*  
*stissima DOROTHEA Marstallers, Viri Clarissimi &*  
*Prudentissimi Dni JOHANNIS Beselin / Senatoris & Patritii*  
*Rostochiensis p. m. olim Conjux suavissima, quæ hodiè mortis*  
*& mortalitatis humanæ præsens simulacrum nobis o-*  
*mnibus præbet, cui etiã ultimus plausus non denegan-*  
*dus, sed cumulatè potiùs exhibendus est. Ipsa enim, in*  
*hac vitæ ærumnosæ fabulâ, sic egit partes suas, ut præ-*  
*reliquis sui sexus ultimum honorem laudemq; merea-*  
*tur. Clarissima autem fuit hæc Matrona, sive Majorum*  
*ejus, magno laudum encomio dignorum, merita repe-*  
*tamus, sive mariti pie defuncti honores & integritatem*  
*expendamus: nec minus honestissimæ Viduæ nomen ju-*  
*re tenet, quia omnes viduitatis numeros explevit.*  
*Nata autem est pia hac matrona Gustrovii 22. Julii circa ho-*  
*ram nonam vespertinam Anno 1607. adeoque nec annum*  
*sexagesimum tertium concessa vitæ terminum elongavit, nec*  
*in eum usque annum spem vivendi porrexit, sed omnem diem*  
*sibi ultimum fore persuasit. Patrem habuit Virum Nobi-*  
*lissimum & Consultissimum Dnum PROTASIVM Mar-*  
*staller / Jctum celeberrimum, & primo quidem Serenissimi*  
*Ducis Pomeranie Dni Dni Bogislai XIV gloriose mem: postea*  
*autem Serenissimorum Dn. Dn. Dn. Ducum Mecklenburgicorum*  
*Dni*

Dni CAROLI, Dni ULDARICI & Dni JOHANNIS ALBERTI, *Illustrissima record. Consiliarium status & Assessorem Cancellaria gravissimum: qui inter tres Fratres Marstallerios, Ducum Pomeraniae Consiliarios, medius, adeoque secundo genitus fuit: Matrem autem foeminam Nobilissimam ANNAM Schütten / omnibus foemineis virtutibus decoratissimam.* Avus ejus paternus fuit Vir Amplissimus & Experientissimus Dnus GERVASIUS Marstaller / *Medic. Doct. Excellentissimus Univerf. Jenens. Prof. Publ. ac dein Sereniss. Dn. Dn. Ducum Brunovicensium Dni HENRICI & Dni JULII veneranda mem. Archiater felicissimus; cujus uxor fuit DOROTHEA Trengeria, ex familia patritia apud Hallenses Clarissima oriunda, foemina omni virtutum ornamenco conspicua: Avus Maternus fuit Vir Amplissimus & Prudensissimus Dnus NICOLAUS Schütte / Senator Gustroviensium laudatissimus, cujus uxor fuit ANNA Stoislöwen / ex Nobili Stoislöwiorum familia; qua Patrem habuit NICOLAUM Stoislöwen, Hereditarium in Panckelaw / matrem BRIGITTAM Clevenowen. Proavum paternum laudat Virum Plur. Reverendum Dn. LEONHARDUM Marstaller / S. S. Tb. D. & Prof. Publ. Univerf. Ingolstad. qui cum à Beato Luthero & venerando Melanchthone ex tenebris Pontificiorum errorum eductus, & ad verum Dei cultum, veramque religionis agnitionem per ductus esset, in illa veritate constantè obdormiuit. Proavum maternum habuit virum Nobilissimum & Strenuum Dnum JOACHIMUM Schütten / Nobilem Silesium, Serenissimi Ducis Mechl. supremum Gustroviensis, Stargardensis, & Svanensis districtus Praefectum, cujus Majores propter Pontificiorum savitiam, neve intolerabilem conscientiarum carnificinam sustinerent, relictis feudis regalibus simul & avitis, ex Patria emigrarunt: Ejus autem uxor fuit MARGARETHA Wincelmannii /*  
Consul-

Consultissimi Dni CHRISTOPHORI Clevena vidua,  
famina decoratissima. His majoribus non tantum vitam pie  
defuncta debet, sed & indolem virtutum igniculis egregie do-  
tatam, quam ad crescentibus annis elegantissime excoluit: ni-  
hil enim optimi ejus Parentes, cum Sacro baptismo primum  
renata esset, ac primam infantiam, qua alias rebus agendis  
inepta videtur, reliquisset, inter miserunt, quod ad accuratam  
ejus educationem conferre posset; nec illa a pietate & bonis  
moribus unquam defecit, sed quae virtutum semina a majoribus  
acquisita sensit, omni studio atque cura suscitavit; modestè ita-  
que virginitatis spatium transegit, & quod a laboribus do-  
mesticis tempus erat reliquum, lectioni sacrarum literarum  
impendit, adeoque septies in illo statu, & quidem debitam cum  
devotione, Sacra Biblia perlegit, eamque lectionem etiam po-  
stea quotannis absolvit. Quando autem Anno 1632 Viro Am-  
plissimo & Prudentissimo Dno JOHANNI Beselin Sena-  
tori & Patritio Rostochiensium conjugali foedere juncta est,  
ipsi non tanquam rixosa C. Afrania, vel imperiosa Polla, aut mo-  
rosa Papyria, sed tanquam prudens & provida Abigail, indis-  
solubili vinculo adhesit. Proinde etiam Deus huic conveni-  
enti matrimonio benedixit; liberos siquidem enixa est septenos:  
quos inter PRIMUS Vir Pl. Rever: & Clariss. Dnus PROTAS-  
SIUS Beselin / Phil. Mag. & Ecclesiastes ad D. Petri fidelissi-  
mus, qui uxorem duxit virginem lectissimam ELISABE-  
THAM, Viri Consultissimi & Prudentissimi Dni JOACHIMI  
Ristemachers / J. U. D. ut & Consul. & Synd. Gustror. gra-  
viss. filiam, & pie defunctam matrem duobus nepotibus exhi-  
laravit, ex quibus JOHANNES JOACHIMUS adhuc su-  
perstes, PROTASII FRIDERICUS autem, in verso mor-  
talitatis ordine, ex hac vita ante aliquot septimanas excessit.  
SECUNDUS Vir Amplissimus & Consultissimus Dnus JOH.  
CHRISTIANUS Beselin / J. U. D. & Adv. celeberr., qui  
Viri Nobilissimi & Consultissimi Dni HENRICI Rahnen/  
Jcti

*ſciti Excellentiſſimi, & Collega ac Anteceſſoris olim noſtri venerationis filiam ANNAM, ſæminam virtutibus clariffimam, uxorem duxit, ex quibus unicam hæcenus neptem DOROTHEAM ELISABETHAM amplexa eſt pie defuncta. TERTIUS, JOACHIMUS in ipſa infantia ex hac in beatiorẽ vitam migravit. QUARTA, ANNA MARGARETHA ſæmina laudatiſſima Viro Preſtantiſſimo & Doctiſſimo Dno MARTINO Sillern / Civi Roſtochiẽſium primario, Affini noſtro colendo juncta, concors quidem & felix ſentit conjugium, ſed hæcenus improle. QUINTUS, Vir Ampliſſimus & Experimentiſſimus Dnus HEINRICUS BERNHARDUS Beſelin / Medic. D. & Practicus feliciffimus. SEXTA & SEPTIMA, ANNA DOROTHEA, & ANNA SOPHIA, innupta hucusque virgines, omnibus virtutibus ſæmineis fulgent.*

*Ceterum fuit matrimonium p. d. non tantum prole ſæcundum ſed & conjugum mutuo conſenſu jucundum, adeoque, quam diu non ſolutum, manſit felix, non tamen ſine arumnis & calamitatibus, quas inter hæc inſima, quando die 17. Novembr. Anno 1635. ſuaviſſimo ſuo marito, Deo ſic jubente, privata eſt. Neutiquam tamen animum curis plenum abjecit, ſed, quæ erat pietatis & fiducia in Deum plena, ita Patris matrisque curam ſola intrepida ſubiit, & non tantum liberis propriis educandis ſolertem navavit operam, verum etiam pridignos materno conſilio & ope, ne novercam ſe habere intelligerent, nimium quantum juvit. Teſtaretur hoc, ſi vita hæc dum ſuper eſſet, Vir Pl. Rev. & Clariſſ: Dnus JACOBUS Beſelin / Phil. Mag. & apud Tonningenſes olim Paſtor Eccleſ. fideliffimus, uti hoc teſtantur Vir Plur. Rev. & Clar. Dnus NICOLAUS Beſelin / Philoſ. itidem Mag. & Eccleſie Tonningenſis Diaconus vigilantiffimus, & Vir Ampliſſ. Dnus VALENTINUS Beſelin / Senator Roſtochiẽſium eximius. Ita, ſub benedictione divina, liberorum ſuorum piam & accuratam educationem ſuſtinuit*

sustinuit, variis tamen difficultatibus & morbis sæpius etiam  
afflicta hæsit, in quibus omnibus se ipsam ex Sacro Codice, præ-  
primis ex c. 7. v. 5. 9. Micha consolata est, quem textum etiam  
concionis funebris ipsa elegit. Omnes proinde suas actiones  
ad Gloriam Dei, liberorum educationem, & proximi utilita-  
tem salutemque retulit; donec 27. die mensis proximè præteriti  
gravius decumbere, majoremque, ac sœveverat, morbi vim  
persentire cœperat. Ubi Primo sollicita fuit, ut anima cu-  
ram haberet, quare subsequenti statim die Virum Maxime  
reverendum & Excellentissimum Dnum HENRICUM  
Mullerum S. S. Theol. D. & Professorem celeberrimum,  
nec non Ecclesia Mariana Pastorem fidelissimum collegam no-  
strum venerandum, Confessionarium suum, ut viaticum S. S.  
corporis & Sanguinis Dominici ad æternam salutem porri-  
geret, ad se vocari rogavit, quo impetrato, Medicorum etiam  
adhibuit diligentiam, ne corporis rationem planè neglexisse  
videretur. Itaque filius Dnus D. Henricus Bernhardus  
Beselin / non tantùm necessaria, ut collapsam sanitatem  
restitueret, adhibuit medicamenta, verùm etiam Virum  
Excellentissimum & Experientissimum Dnum Johannem  
Backmeisterum, Med. D. & Profess. Celeberr. Collegam  
& Compatrem nostrum venerandum, ut communicato consilio  
agrotanti matri succurreret, advocavit. Quoniam autem  
vis morbi omnem humanam operam superabat, inter preces &  
suspiria, imò inter calidissimas liberorum suavissimorum  
lacrimas, die 4. Martii hora 2. post meridiem, cum annum age-  
ret LX, placide obdormivit, & animam Servatori suo reddidit.  
Cum itaq; hodie, ad medium horæ primæ, in templo Ma-  
riano exuviæ hujus optimæ & pientissimæ matronæ ter-  
ræ sint mandandæ, Ego omnes ac singulos Academiae ci-  
ves, ut ad deductionem hujus funeris frequentes  
confluant, officiosè & amanter rogo.

P. P. II. Martii Anno 1667.













geti Excellentissimi, & Collega ac Antecessoris ol  
randi filiam ANNAM, foeminam virtutibus cla  
rem duxit, ex quibus unicam haectenus neptem I  
AM ELISABETHAM amplexa est pie defun  
JOACHIMUS in ipsa infantia ex hac in beatio  
grabit. QUARTA, ANNA MARGARETHA,  
tissima Viro Praestantissimo & Doctissimo Dno  
Sillern / Civi Rostochiensium primario, Affin  
do juncta, concors quidem & felix sentit conjug  
nus improle. QUINTUS, Vir Amplissimus & Ex  
Dnus HEINRICUS BERNHARDUS Besel  
& Practicus felicissimus. SEXTA & SEPTIMA,  
ROTHEA, & ANNA SOPHIA, innupta hu  
nes, omnibus virtutibus foemineis fulgent.  
Caterum fuit matrimonium p.d. non tantum pr  
sed & conjugum mutuo consensu jucundum, ade  
non solum, mansit felix, non tamen sine arum  
tibus, quas inter haud infima, quando die 17. N  
1635. suavissimo suo marito, Deo sic jubente, pra  
tquam tamen animum curis plenum abjecit, sea  
tatis & fiducia in Deum plena, ita Patris matrisq  
intrepida subiit, & non tantum liberis propriis  
lertem navavit operam, verum etiam privignos  
silio & ope, ne novercam se habere intelligere  
quantum juvit. Testaretur hoc, se vita bucd  
Vir Pl. Rev. & Clariss: Dnus JACOBUS 2  
Mag. & apud Tonningenses olim Pastor Eccles. fidel  
testantur Vir Plur. Rev. & Clar. Dnus NICOL  
lin / Philos. itidem Mag. & Ecclesie Tonninge  
vigilantissimus, & Vir Ampliss. Dnus VA  
Beselin / Senator Rostochiensium eximius. Ita,  
one divina, liberorum suorum piam & accuratum

